



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Evangelica contra horum temporum hæreses

Stapleton, Thomas

Antverpiae, 1595

21. Olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39546

Deo providentia, & electorum quidem prædestinatio atque electio gratuita, reprobatorum vero reiectio iusta: quod in eodem vide Molina q. 14. art. 13. disput. 49. Postremū documentum, quòd
 7. isti Tyrij & Sidonij reuera fuissent conuertendi (vt Christus disertè dicit). si virtutes ibi factæ fuissent, nec propter defectum efficacis gratiæ (quæ per illa miracula fuisset efficax, propter liberi arbitrij consensum quem illa miracula cum auxilijs gratiæ indubiè eliciuissent, vt Christus docet) sed propter defectum miraculorū, & aliorum mediolorum, quæ iustè Deus illis subtraxit; alia tamen multa illis faciens quæ eos promouebant ad salutem (ait in hunc locum Corn. Iansenius) non fuisse conuersos: de quo etiam vide Molinam q. & art. citatis disput. 38. pag. 239.

21. *Olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.*

Pœnitentia actus pœnalis.

ARRORDIT hunc locum Calvinus, quia manifestè videbat ex eo conuinci, non in sola vitæ mutatione & resipiscentia, quâ ille totam pœnitentiæ rationē esse vult, sed in operibus quoq; pœnalibus pœnitentiã propriè versari. Ait igitur, vt textū penitus peruertat: *Pœnitentia hic ab externis signis describitur, quorū tūc solemnissimus usus erat in Ecclesia Dei. non quòd in hanc partem insistat Christus, sed quia se ad vulgi captū inflectit.* Vult bonus Calvinus pœnitentiam hic à Christo describi, non qualis esse debeat, sed qualis tunc in more illius populi erat; nec hanc pœnitentiæ formam à Christo vel vrgeri vel commendari, sed tantum quid fieri soleat, historicè commemorari. Denique non ipsam pœnitentiam, sed signa quædam eius externa notari. Hæ sunt Caluini speculationes,

nes, vt cilicium à suis humeris auertat, & omne
 pœnale opus à pœnitentiæ ratione remoueat.
 Cæterum pœnitentiã hic describi non à loci
 illius consuetudine, nec ab eo quod solet fieri, sed
 ab ipsa eius natura, & ab eo quod debet fieri, per-
 petua in Ecclesia Catholica praxis ostendit, quæ
 suos pœnitentes huiusmodi operibus pœnalibus
 exercuit: de quo lege Cyprianũ serm. 5. de lapsis,
 & lib. 3. epist. 16. August. hom. 50. cap. 15. & in
 Enchirid. cap. 70. Gregor. M. hom. 34. in Euãg. &
 Curæ pastor. par. 3. admonit. 31. Theodoretum in
 epitome diuinorum decret. cap. de pœnitent.
 Crisost. hom. 22. ad pop. Ant. Neque verò opera
 pœnalia signa tantum externa sunt, sed proprii
 fructus, operaque propria pœnitentiæ. Sic enim
 ad huiusmodi exhortans Ioan. Baptista dixit. **Luc. 3.**
Facite fructus dignos pœnitentiæ, quales fecerunt Nini-
uitæ, Ionæ 3. Et vidit Deus opera eorum, &c. quales
fecit David, laborans in gemitu suo, & lauans per singulas
noctes lectum suum. Addit adhuc Calvinus. Scimus non
exigi pœnitentiã à fidelibus tantum ad paucos dies, sed
vt se in ea meditanda assidue vsque ad mortem exerceant.
Atqui non necesse est quotidie sacco vestiri & cinere. Hæc
ille, nõ distinguens quotidianã iustorũ pœniten-
tiã (quæ in perpetua supplicationis humilitate subitur, vt
scribit August.) ab alia ex magnis peccatis resur-
gentiũ laboriosa vel etiã solenni pœnitentiã, vt
à Patribus vocatur atque distinguitur: ab August.
maximè homilia 27. ex 50. & homil. 50. capite 9.
de Symbolo ad Catech. libro 1. capite 6. &
Epistol. 504. Origen. homilia 3. super Leuiticum.
 Quemadmodum igitur quidam hodie hæretici
 propter perpetuum Dei cultum ad quem omnes
 tenentur, nullos volunt esse speciales dies festos
 ad eum destinatos: sic hic Calvinus propter quo-
 tidianam

Homil. 27
 ex 50. &
 hom. 50.
 c. 4. & 6.

Luc. 3.

Psal. 6.

Homil. 27
 ex 50. &
 hom. 50.
 c. 4. & 6.
 de Ci-
 uit. Dei
 lib. 22.
 cap. 23.
 & epist.
 108.

tidianam omnium etiam in hac vita iustorum
 pœnitentiam, grauiorem illam & magnis pecca-
 toribus necessariam, qualem hic Christus descri-
 bit, eludere vult. Subiungit nihilominus, *exte-
 riorem istam pœnitentiæ professionem in sacco & cinere,
 tunc locum habere, quum ex graui aliqua defectiõne ad Deũ
 se homines conuertunt.* Quibus in verbis videre po-
 tuit, quæ de pœnitentiã quotidiana prius excepit,
 nihil prorsus ad locum præsentem facere. Sed
 ambiguus & vafer hæreticus nec tacere potuit
 quod liquida rei veritas illi extorsit, nec dicere
 tamen voluit quod tota veritas dicendum postu-
 lauit, aut à suis inspergendis fallacijs ac venenis
 abstinere. Pessimè quippe illum hic locus habuit
 vbi pœnitentiã describitur, non in sola vitæ
 mutatione aut qualibet antea vitæ displicen-
 tiã, sed *in cilicio & cinere*, id est, in graui & luctuosa
 & laboriosa pro peccatis satisfactiõne, durisque
 & acerbis pœnitentiæ fructibus.

Caluini
 vatricies.

25. *Abscondisti hæc à sapientibus, & reuelasti ea paru-
 uulis.*

QVVM hæc Christi verba de superbis &
 de humilibus doctissimi in Ecclesia Patres
 hæctenus intellexerint, August. serm. 8. de verbis
 Domini, Gregor. Moral. lib. 27. cap. 9. & Hila-
 rius in com. in hunc locũ, vt in Prompt. Cath.
 in festo S. Matthiæ ostendimus, ad quos etiam
 accedit Chrysoft. hom. 39. in Matth. vnus Cal-
 uinus, quia de numero talium paruulorum nec
 erat, nec esse voluit, vult omnino Christum per
 Sapientes notare viros doctos ac magnos sine vlla vitijs no-
 tatione, pauperes verò ignobiles ac viles personas sine vlla
 virtutis nota. Nempe vt locum faceret textoribus
 suis, coriarijs, sartoribus, tonforibus, & id genus
 alijs

Paruulos
 ac humi-
 les non
 fert Cal-
 uinus.